4

DISPUTATIO MEDICA 4
INAUGURALIS,
QUÆDAM
DE
APOPLEXIA SANGUINEA,
COMPLECTENS.

AUCTORE SAMUELE ANNAN.

Legibus almae hujus Academiae, quae, omnes eos lauream Appollinarem ambientes, aliquid progressus sui in scientia medica testimonium, in publicam proferre sanciunt, obtemperanti, de Apoplexia Sanguinea in paginis sequentibus pauca, mihi in animo est disserere; morbus, quo, sive symptomatum saevitiam, accessus rapiditatem, stragesve luctuosas, quas inter homines quotidie edit, nullus medici attentionem peritiamque majore jure sibi vindicat.

Hic morbus varie a variis auctoribus nuncupatur; veluti, *Ictus Sanguinis, Morbus, Attonitus, Nervorum Resolutio, Sideratio, Percussio,* Graece Αποπληξια omnia quorum nomina ad impetum repentinum et improvisum spectant; nam qui hoc malo correpti sunt, quasi fulmine vel infausto quodam sidere afflati, perculsive, improviso concidunt et resolvuntur.

Cullenus illustrissimus, hunc morbum in classe Neurosium ordineque Comatum ponit et sic breviter definit: "Motus voluntarii fere omnes imminuti, cum sopore plus minus profundo, superstite motu cordis et arteriarum."

Multae species annexae sunt, quarum praecipuae sunt, *Sanguinea, Serosa, Traumatica,* et *Hydrocephalica.* Sanguinea, de qua quaedam conscripturus sum, est ea, quae cerebri vasis plus aequo tumefactis, nec raro ex iis diruptis sanguine intus profuso, continetur, et hisce verbis definitur, "Apoplexia cum signis plethorae universalis, et praecipue capitis."

Haecce praefatus ad morbi historiam transibo.

DE HISTORIA MORBI.

Impetus morbi exitusque, quem prosequimur, aliquando tam inopinati sunt, ut aeger sine gemitu cadat. Alias dum aegrum valetudine solita peragrat, rationes commodi futuri aut voluptatis exquirens, vocem efferendi difficultatem, artuum inferiorum resolutionem, subito sentit; quibus, impetus Apoplexiae ferme est comes. Saepius, tamen, signa varia affectum cerebri designantia, morbi impetum menses vel annos praecedunt; veluti, capitis dolor, modo gravis, modo acutus, quem fere hebetudinis et vertiginis sensus comitatur; audiendi gravitas et aurium tinnitus, scintillae vel maculae nigrae oculis observantes, et facultas omnes res duplicatas videndi, memoria imperfecta vel privata, quamvis antea tenax et felix, vox balbutiens, debilitas repentina

musculorum, noctes insomniis cruciatae, torporis et incubi paroxysmi crebri, sanguinis saepe e naribus fluxus, et ad faciem cursus, oculorum gravitas lachrymis impletorum.

Quum ex his quaedam, nam omnia raro vel nunquam orta sint, Apoplecticus sine sensu motuque cadat. Alterum corporis latus nonnihil motus ac sensus saepe adhuc retinet et convulsionibus corripitur: dum alterum omni sensu ac motu voluntario penitus orbatur. Aeger infelix ut in somno alto jacet, cum stertore, respirandi difficultate, rubore et calore faciei cervicisque, venis sanguine turgidis, pulsu valido, pleno et tardo, oculis semiapertis et pupillis dilatatis, cute arida, sed temporibus sudore viscido madentibus, distortione oris, deglutitione difficili aliquando ablata, spuma * ab ore fluente.

" * Sed hoc a nonnullis negatur; siquidem epileptici quidem totius corporis convulsione agitentur, et spumas oris agant; apoplectici nunquam." Caelius Aurelianus, Lib. iii. cap. 5.

Si impetus permaneat, jam urina et faeces sine voluntate exinaniuntur, caloris paulu-lum febrilis, pulsus arteriarum frequens, pu-pillae oculorum contrahere desinunt, saliva ex ore stillat, partes corporis imae frigidae; haec omnia, mortis praesagia recte existi-mantur.

Quod si cui laboranti tempestive medici-cina opitulatur, vegeta simul natura medi-catrice, exitus melior instare solet. Inter-dum renascitur integerrima valetudo; quam modo sudor, aut alvi fluxus, modo cursus sanguinis e venis imi intestini, aut aliunde sua sponte, molitur. Nec vero finitis malis, et sanitate, ut videtur, reduce, non superest metus; nosse enim juvat, quanto aliquem frequentius jam propositus morbus percus-serit, tanto facilius, tantoque levioribus nox-is illatis, eundem novari; tantoque incitati-onem acerbioremque saevire, in *hemiplegi-am* exitiosam, serius ocyus abituram; et quod superest aevi, membris menteque reso-luti, aegroti miserime saepe saepius trahunt,

donec morbi impetus, iterum iterumque superveniens, aerumnis finem tandem imponat.

QUAE SECTIS CADAVERIBUS PATEANT.

Patefacto hominis, quem *Apoplexia* strangulavit, capite, multa praeter consuetudinem reperiuntur. Vasa *piae matri* inspersa et omnia ipsius cerebri exteriora ampliantur, anfractuosa sunt, et sanguine ultra naturam turgent. *Piae matri* et membranae *arachnoideae* saepe interjicitur magna vis cruoris aut laticis. Cerebrum incisum plurimis rubris punctis sanguinem fundentibus maculatur, quae vsais tumidis ruptisque nascuntur. Hoc viscus sane adeo sanguine superfluit, ut inspicienti ejus arteriae et venae liquore *anatomicorum* colorato repletae esse arte videantur. Non raro ejus ventriculi atria cruore effuso onerantur : imo vero hic persaepe coactus in ipsam cerebri compagem profluxisse

apparet. * Arteriae ejus, praesertim grandiores, pene in os versae saepe conspiciuntur. Nec vero semper sanguis esse profusus invenitur: aliquando nil insoliti prodiit, praeter tumefacta vasa; quibus equidem subinde tubera accedunt, hic illic per cerebrum sparsa.

DE CAUSA PROXIMO.

Morbi symptomata, ex cerebri aut nervorum origine compressa, et vi nervosa ad musculos voluntarios movendos obtructa, pendere videntur. † Generis vero nervosi phy-

* "I have watched them while alive, that I might "have an opportunity to open them when dead, and in "all I have found an injury done to the brain, in con- "sequence of extravasation of blood." HUNTER on the Blood &c. WEPFER Histor. Apo plect. p. I. ad 14. ejusdemque libri Obs. 49, 53, 50, &c.

† "Communi nervorum principio affecto, et inde "omnibus corporis partibus pendentibus motum simul "et sensum, Apoplexia morbus vocatur."—PAULUS ÆGINETA, lib. 3. cap. 18.

siologia tanta obscuritate mysterioque involvitur, ut phaenominorum omnium hujus morbi explanatio non fieri possit. Cerebri compressio, a vasis sanguine distensis, seri effusione, sanguinis extravasatione, tumoribus intus cerebrum, vel a vi mechanica cum cranii pars depressa sit, oriatur.

DE CAUSIS PROCLIVITATIS.

Proximum est, ut inquiramus, quae ratio corporis et aetatis, et quo aliae proprietates efficiant ut homo ad *Apoplexiam* subeundam admota causa excitante, proclivior sit. Huc potissimnm operam conferunt caput grande, aetas ingravescens, cervix brevior, corpus obesum et sanguine plenum, inebrietas et suppressio solitarum exinanitionum ; de quibus brevi oratione disserendum.

Caput grande.—Haec forma esse haereditaria apparet, et cum robusti atque plethorici sunt homines, capitis figura ad majorem sanguinis copiam eo mittendam confert ; ide-

oque quavis causa excitante facilius oritur morbus praesertim senectute, cum arteriae sunt rigidae, ac minus valent distentionem tolerare.

Ætas ingravescens.—Homines inter quinquagesimum et septuagesimum annum Apoplexia plerumque corripit. CULLENUS celeberrimus, hunc morbum, ex plethora vasorum capitis venosa senibus propria, oriri putavit.

Cervix Brevior.—Circuitus sanguinis prope cor velocissimus et fortissimus et; idcirco sanguis e corde emissus in cerebrum vicinius solito positum, inusitate vi et velocitate impellitur, et ad vasa infirmanda, cerebrumque vitiandum, haud parum confert; venae quoque jugulares breviores solito, nec pari ratione dilatandae, sanguinis plenum et liberum regressum aliquoties retardant; praecipue inter caput ad unum vel alterum latus, rotandum; area harum magnopere minuitur, vel prorsus deletur.

Corpus Obesum.—Obesitas vasa subter cutem jacentia comprimendo, sanguinem in in-

teriora minus huic pressurae opportuna propellit, et actione pulmonum impedienda, liberum sanguinis per eos transitum negat, et in vasa cerebri qua nulla adest adeps determinat, et sic apoplexiae causam praedisponentem format.

Inebrietas.—Hoc vitium horrendum non solum plethoram facit, sed ejus per stimulum sanguinem magna cum vi ad caput propellit, et vasorum actionem inflammatoriam inducit, et hic stimulus plerumque constanter agit, habitus enim temulentorum vix aut ne vix quidem unquam derelicti sunt. Oculorum rubor, eruptiones superficiem crebrae et super omnia nasi color peculiaris temulentorum nimiam determinationem ad caput plane demonstrant.

Suppressio solitarum exinanitionum.—Exempla apoplexiae evacuationibus suppressis supervenientis, sunt multa; hinc periculosum est mederi iis, quibus corpus diu expositum fuit; veluti haemorrhoides, quarum obstructio maxime in senibus, hunc morbum sive paralysin saepe generat; etiamque,

in collo vel parte corporis aliqua, fonticulorum sanatio diu sedem habentium, ulcerum curatio veterum, insigne quorum, MORGAGNI exemplum dedit. Haec omnia, plethoram inducendo, agunt.

DE CAUSIS EXCITANTIBUS.

Omnes noxae, quae ad hoc malum inferendum valent, duplicem habere distributionem videntur; nimirum, aut nocent, cursu sanguinis ad capitis arterias celerando; aut, quo minus facile per venas reducatur, obstando. De quarum singulis, proximum est ut paucis disputetur.

Animi Affectus.—Aliquae mentis perturbationes sanguinis fluxum in cerebrum plurimum augent, scilicet, laetitia, iracundia, atque cupido, genus nervosum, ac arteriosum immodice concitant, ut e faciei ac oculorum rubore, in hominibus hujus morbi paroxysmo laborantibus patet.

Exercitatio Vehemens.—Omnis musculorum contractio, sanguinis circuitum accele-

rat; quo fit, ut is in vasis minus pressis congeratur, et igitur in vasis cerebri, quae interdum rumpuntur, interdum nimium humorem tenuem effundunt.

Calor Nimius.—Sive ex balneo ex rebus ingestis, vel praesertim ex concursu hominum, semper, apoplecticis, maximo periculo est; vasa enim sanguifera multum stimulat, adeo ut illa capitis, stimulum non sine diruptione sustineant.

Ebrietas.—Memorari inter causas occasionales etiam proprie potest, quod liquores validiores nimia copia in ventriculum assumpti, cursum sanguinis inordinatum caput versus faciunt; lingua in sermone haesitare notatur, et sensus externi depravati sunt, majore copia sumpti fere perpetuo apoplexiam procreant.

Crapula.—Post cibum imprimis ex carnibus, motus sanguinis intenditur, torpor et somnolentia ingruunt; nec desunt exempla plurima helluonum, pleno et bene referto stomacho, huic mundo valedicentium.

Caput diu demissum, reditui sanguinis

venosi libero, non tantum oppugnat, sed etiam ejus velocitatem ad caput accelerat; et si aegrotus, non extemplo dejiciatur, de ejus accessu, haemorrhagia e naribus interdum admonetur.

Ligaturae circa collum, venas proprius ad superficiem decurrentes, quam arterias profundius positas, magis comprimant necesse est; quo fit, ut sanguinis regressus e capite haud sine apolexiae periculo remoretur.

DE DIAGNOSI.

Nunc de discrimine, quod inter hunc morbum et eos maxime ei cognatos intercedat, dicendum est. Ex iis Paralysis, Syncope, Morbus Comitialis, Ebrietas, et fortasse Hysteria, observatione maxime dignae sunt.

Paralysis.—In hoc morbo pulsus est debilis, facies pallida, calor corporis imminutus, etiamque debilitas unius membri, vel corporis dimidii; verum in apoplexia pulsus est validus, respiratio laboriosa, somnus profundus, et motus et sensus deficiunt.

Syncope.—Syncope ab morbo, de quo agimus, facile dignoscitur; eo quod illi spiritus motusque cordis et arteriarum pene conquiescunt: huic vero tarda et valida sunt: illa quoque semianimis non stertit. Vultus denique illo affecto pallet, hoc livet et tumet.

Morbus Comitialis.—In epilepsia, convultiones laterum corporis amborum vehementes, praecipue vultus musculorum, ex ore spumans, et aura epileptica praecedens, ab apoplexia satis et facile eam distinguunt.

Ebrietas.—Apoplexia aliquando, haud sine difficultate ab ebrietate distinguitur; veruntamen discrimen examussim fieri potest somno, in ebrio, minus profundo quam in apoplectico existente; nam sensuum organa fortiter stimulando, plerumque excitari potest ebrius, violentissimis autem apoplecticus non.

In Hysteria, motus abnormes, spasmis in apoplexia longe absimiles, urinae limpidae fluxus, suspiratio, sensus globi, aetas fere semper et sexus, et alia minoris momenti, judicium satis clare dirigent.

DE PROGNOSI.

Cum organum et vitae, et sanitati tam necessariam, in hoc morbo laesum esse reputemus, certe opportet, ut de fine sive laeto, sive infelici, cautissime praedicamus.

Si aeger juvenis sit, vitamque temperatam, et pudicam degerit, anteque omnia si impetus lenis fuerit, et symptomata, idoneis remediis adhibitis, multum et cito se remiserint, parum fere obstat, quo minus prognosin quodammodo faustam statuamus.

Contra autem siquando morbum signa vehementia veluti, sensus et motus voluntarius omnino deficientes, stertor spiritus, sopor altissimus, vultus plurimum suffusis, pulsus parvus, debilis, et irregularis, sudores per totum corpus frigidi et viscidi, pupillae dilatatae, neque lucis stimulo parentes, comitentur, et ne sanguinis missioni cedant, quod effusionem alicubi in cerebro factam semper fere docet, sed praefracte perristunt, cum urinae et alvi evacuationibus invitis, exitus

infaustissimus est expectandus; eoque in angusto magis spes erit, quo plures accessus expertus fuerit.

DE PROPHYLAXI.

Quoniam melius ictum apoplecticum avertere quam sanare valeamus, operae pretium erit, regulas prophylactrias breviter praecipere, atque literis mandare. Æger huic morbo proclivis diaeta parcissima, ex oleribus et radicibus praecipue parata, uti, et nullum laticem aqua vel cerevisia tenui meraciorem libere debet; nicotianam manducare, ejus fumum inhalare, aut pulverem naribus haurire, nequaquam fas est. Consilio supra dicto, fonticulum in nucha aperire utile erit.

Alvi purgatio haud minus necessaria est. Sedes liquidas ad minimum duas, vel naturaliter vel ope medicinae dejectas, aegro quotidie conciliare debemus.

Flectio corporis, diu intensa, et ligaturae

circa cervicem arctae, sine periculo tolerare nequeant.

Æger aqua frigidissima caput totum frequenter lavare atque in cubiculo amplo frigidulo, absque igne, aut stragularum pondere, dormire debet, capite interim pulvinaribus probe suffulto. Causas omnes, cum praedisponentes tam excitantes, et quicquid demum quocunque modo congestionibus intra caput, et derivationibus sanguinis abnormibus favere possit, maxima cura et diligentia evitare debet.

Simul ac dolor capitis, torpor membrorum, aliave ictus propinqui symptomata sese ostenderent, est medici cauti et diligentis acre remedium purgans statim exhibere, et sanguinem aut e brachio aut temporibus mittere. Sic paroxysmum imminentem plerumque avertere poterimus.

DE MEDENDI RATIONE.

Quum jam aliquem Apoplexia corripuerit, statim medici omnes noxas, quae signa

exasperent, si fieri potest, tollere. Caput oportet pulvinis fultum erigi, quo sanguis cursu lentiori ad cerebrum deferatur, et citiori reducatur. Collum debet nudari, subductis monilibus, aliquave veste, quae venas ejus gravare possit. His aliisque eodem pertinentibus nulla mora absolutis, statim omnia medicinae auxilia, quae cerebrum oppressum expediant, concedi debebunt; eaque saepius aut rarius, plus minusve, largius aut parcius, adhibenda, prout medicum prudentem ratio virium, sexus, aetatis, corporis et signorum edoceat. Inter haec praepollent sanguinis vena incisa aut aliunde missus, alvi purgatio, exulcerantia et incitamenta sublata. De quibus, quam brevissime et lucidissime potero, disputabo.

Sanguinis Detractio.—Quo cerebrum pressum expediatur, cito et large, sanguis ex systemate abstrahendus est, et gravi in casu, puto circiter viginti et quinque, triginta vel etiam quadriginta uncias*, tuto detractum

* "We ought to bleed at once very largely, and especially from the temporal artery, till the patient be-

iri, et haec operatio, symptomatibus haud levatis, secundum eorum violentiam, aegrique vires, in horam vel duas, vel citius, certe repetenda est. Si opportune fiat, sanguis ex vena jugulari trahatur, quia in capitis affectionibus sequitur effectus melior. Si autem id fieri non potest, tunc vel ex ramo anteriore arteriae temporalis, vel ex brachii venis emittatur. Sententia quorundam * est, venaesectionem magis valere, cum sanguis emittatur ex latere contrario ei maxime affecto. Sanguis magno ex vulnere et in postura erecta, trahendus esse debet. Post venaesectionem generalem, hirudines capiti affigendae sunt, et cucurbitulae cruentae occipito admovendae, per quas, in opificis periti manibus, sanguis largiter hauriendus erit, quod multum proficit, et vires haud labefac-

---

" gins to shew signs of recovery, and to continue till " he might begin to become faintish." HUNTER *on the Blood, &c.*

* CULLEN'S first lines. BURSERII Institut. Med. Practic. WEPFERI Observat. de Apoplexia. MORGAGNI de Causis et sedibus Morborum.

tat. Sanguis emissus haud raro superficiem coriaceam albam ostendit, quod diathesin phlogisticam adesse nos monet.

Alvi Purgatio.—Proximum est ut intestina probe depleantur. Ni igitur, gulae fibris resolutis, aeger devorare nequeat, statim alvus medicamento fortiori sumpto solvenda. Convenientissimum est *submurias hydrargyri,* quoties liquores minus facile ingurgitantur; nec enim mole, nec ingrato sapore offendit; et simul violenter alvum movet. Si homo ex facili vorat, *sales medii* multa aqua liquati, et *infuso cassiae sennae* misti, ingerendi. Alvi purgantia duplici ratione auxiliantur; nimirum, acribus ejiciendis, quae intus retenta totum corpus incitarent, et arteriis intestini concitandis: quo fit, ut humores huc a cerebro deferantur. Nihil igitur nisi vires contritae aut facultas ingurgitandi deleta, recte prohibit, quo minus concedantur. Quod si aeger edendi et bibendi impotens haec assumere non possit, alvus ducenda. Hunc in finem aut *sulphatis sodae* unciae duae aquae dissolutae, et

infusi cassiae sennae sesquiunciae mistae, aut aqua tepida *muriate sodae*, quavis re glutinosa, et oleo oleae Europeae imbuta, recte per alvum injiciuntur.

Exulcerantia.—Si nulla valetudinis signa eveniat, quam primum post sanguinis missionem, medici vesicatoria capiti adhibere solent. Sed ex nexu inter vasa capitis externa intusque, a priori videretur, vesicatoria non omnino valere posse: ita Dr CHEYNUS nos docet, parum fructus ex vesicatoriis capiti adhibitis oriri; sed capitis dolori, qui morbos febriles comitatur, vesicatoria, collo a tergo applicata, multum proderunt.

Hic locus, non minus in apoplexia, esse optimus videtur, ut fors excitandi vasa capitis intus est minori, sed quia caput, aqua frigida vel aceto aqua mixto facilius lavari possit. Quaeque irritamenta, quae nervos perquam irritent, aut cor arteriasque concitent, magis angue et cane fugienda. Hujusmodi sunt condita omnia, *opium*, vinum, potus meraciores, cibus e carnibus, aestus, et quae sunt his similia.